

ptum est omnibus in salutem *Job. 5. v. 39, 40. Cap. 20. v. 31. Rom. 15. v. 4. 2. Tim. 3. 15, 16.* Ministerium Spiritus institutum est omnibus in salutem *1. Thes. 1. v. 28. 2. Cor. 3. v. 6. &c.* Unum idemq; est Symbol. Apostol. quo credant omnes remissionem peccatorum & vitam æternam. Omnes orent, Pater noster, & remitte mihi peccata &c.

5. Ex æquali Sacramentorum administratione. Quæ omnibus & singulis administrantur in remissionem peccatorum, in adoptionem & justificationem. Quæ omnia suo loco pertractantur atque demonstrantur.

XI. Sed & Benevola Dei Voluntas omnino vera est, sincera, & seria, non apparens aut simulatoria, non signi tantum, sed Beneplaciti, non probationis modo, sed & effectiois.

*Verus enim Deus est, & fallere nescius Rom. 3. v. 4. mentiri non potest. Hebr. 6. v. 18. Fidelis est, negare seipsum non potest. 2. Tim. 2. v. 13. Justus & rectus absq; iniquitate Deut. 32. v. 4.* Quam ergo nobis benevolentiam promittit, & in suo verbo designat, eam omnino seriam atque sinceram ejus voluntatem esse confidenter agnoscimus: cum porro ea juramento Dei, & lacrymis Christi confirmetur. *Luc. 19. 41. Sanguine, testimonio Spiritus S. & Sacramentis obfignetur. Adeo fidus est sermo ejus & dignus quem modis omnibus amplectamur: quod Christus Jesus venit in mundum, ut peccatores salvos faceret 1. Tim. 1. 15. In hoc & laboramus & probris afficimur, eo quod spem fixam habeamus in Deo vivente, qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium, 1. Tim. 4. v. 9, 10.*

Sed & porro benefica & efficax atque operosa est Dei voluntas. Omnia enim accuravit Deus salutem humanam Proficua *Matth. 22. v. 4. Ecce prandium meum paravi, tauri mei & attilia mea mactata sunt, & omnia parata, venite ad nuptias Luc. 14. vii. 7. venite quia jam parata sunt omnia. Esa. 5. v. 4, 5. Quid est quod ultra debui facere vineæ meæ & non feci ei?* Sic Christus non tantum voluit, ut omnes congregentur sive associantur Ecclesiæ, & regno gratiæ, sed magno ipse quoque conatu congregare studuit, eos quoque, qui nolunt, & repudiant gratiam conversionis, ut *Matth. 23. v. 37. quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas? & nolulistis. Nimirum Christus ideo venit in mundum, ut SALVET, quod perierat Matth. 18. v. 11. ut mundum SALVET Job. 3. ut animas*

mas